

www.e-rara.ch

Refractiones coelestes, sive solis elliptici phaenomenon illustratum

Scheiner, Christoph

Ingolstadii, 1617

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 2605

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-16193>

Ad lectorem.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

AD LECTOREM.

ELLIPSIN rei cuiuscunq; defectum, Amice lector, apud Graecos significare, auctor in primis esse potest multo locupletissimus, Aristoteles 2. Ethic. c. 6. Τὸ δὲ ἴσων, inquit, μέσων ὑπερβολῆς καὶ ἐλλείψεως; aequale autem medium quiddam est, inter nimium & parum. Mathematici quidem antiqui, vocabulum hoc suis usibus aptantes, omnem eam figuram, quae imperfectionis aliquid praeseferbat, aut ipsam potius imperfectionem ipsius, Ellipsin dicebant; quo factum est, ut plana quaecunq; à circuli curvitate non multum discrepantia, hoc nomine venirent; unde Geometrae, uti apud Archimedem, Apollonium in Conicis, & Serenum in Cylindricis sectionibus est videre, id peculiari quasi quodam iure, in obliquam conii totius sectionem transtulerunt. Sed nos medio incedentes tramite, hoc Solis Meteorum Ellipsin appellauimus, neq; generalissimo illo usi sensu, quo rei cuiuscunq; defectus denotatur: neq; presso illo significato cōtenti, quo vniformis tantum à circulo abscessus proditur: nominauimus autem Solarem, ut per hoc, ex aliarum Ellipseon censu eximeretur. Est enim haec Ellipsis, conii radiosi à disco Solis conspicuo, in conuexam Atmosphærae superficiem eiaculatio, & mutua quaedam atque obliqua eorundem, intersectio, in oculum vel aliud punctum intra vapores positum, refractè protensa. Et quatenus quidem hac sectio conuexam vaporum extremitatem insidet, eatenus altitudo eius, longitudinem proceritate superat: at verò prout refracta in punctum aliquod coit, seu oculi, seu speculi aut chartae in obscuro obtenta, sic longitudo excedit altitudinem, idq; inaequali passu, prout videlicet magna vel parua Refractionis differentia interuenerit. Quae omnia attentè consideranti, haud agre fient obuia. Superficies enim Spharica, (qualem in extremitate Vaporum constituimus) cylindrum conumue obliquè penetrans, sectionem facit circulo sibi inscripto longiorem, circumscripto breuiorem: qualem Atmosphaera in conum solarem, vel hic in illius conuexitatem ex parte rei introducit. Quae quidem impressio, ut physicè loquamur, postquam à reliqua conii solaris portione ulterius in profundum vaporum deuehitur, ita radiorum in fractione

Describitur
Ellipsis
nostra.

Comparatio nostræ atq; Geometricæ Ellipseos.

considit, ut brevior ipsius axis longiorem anteeat, non veritate sed apparentia, conividelicet inflexione caussata; & hanc Metamorphosin indigetamus Ellipsis; atque de hac animus est agere; originem, causam, modum, effectum ipsius, & multa independentia indagare. Qua proinde Phasis, sicut ab Ellipsi Apolloniana, figura conformitate non multum abludivit, oculo indice; ita si reliqua inter se contendamus, ab ea plurimum abhorret. Illa enim uniuersim tractata, ab omni certa materia sese auocat, hac cœlestis regionis limites non excedit: illam mens imaginatu, secundum naturam ipsius exigentiam, efformat: hanc solares radij, & conglobata vaporum lauitas mutuo concursu, natura duce, effingunt: illa est plana, hac Sphærica superficie cum cono sectio: illa directè, hac refractè visitur: illa simplex, hac ellipsis mixta potius est censenda: illa stabilis ex natura sua, hac continuis vicissitudinum varietatibus obnoxia manet: illam obtutus nec variat situ, neq; transfert loco; hac secundum spectantium oculos multiplicatur, neq; eadem cōspectui alterius sese credit; imo in momenta eidem oculo sese, Proteo mutabilior, transformat: illam effingere potes animo ut placet; hanc oculis intueri nisi cœlo sereno, idq; mane vel vespere, ut plurimum, non potes. Quas obras, Amice Lector monendus eras ab initio, ut etymologia rationem perciperes, ne ellipsi Apolloniana quærenda frustra desudares, sed hac Astronomica vel Optica contentus esses: & vero te futurum omnino confido, si eo quo ego hac candore profero, iure ceperis animo.

Ab uno quidem huic Phænomeno appellationem indere, animo arriperat: sed quia duo oui apices inter se sunt semper dissimiles, venter autem circumquaq; aequali protensione inter ambos protuberat; contrariū autem in Solis contorsione euenit, nolui spectaculum altissimum, ad humilem minusq; conuenientem nomenclaturam abiicere.

De cuius apparitione, multis nunc annis stabilita, testibus confirmanda, mihi non arbitror esse laborandum; nam dies diei sub ortum eructat verbum, & nox nocti sub occasum Solis scientiam hanc indicat; quam nemo non addiscit, nisi qui oculis caret, nemo non intelligit, nisi qui sponte fuerit: aperi oculos, & vide; & talem huius miraculi testem acquires, qualem tu omnium maximè requiris, cui omnium multo maximè credis. Vale & fruere.

PLAV.